Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1515
Quelle:
Copyright:

tii) *europ. Staats-Canzley* P. XXVII. p. 814. Post haec agit Homo fatuus de conscribendis et alendis suis X. Millibus *pour escorter la parole de Dieu, qui sçachent se deffendre contre cent mille*, solicitatque 36. Mercatores et Trapezitas *Amstelaed.* quorum etiam recitat nomina, ut sumtus ministrent, nec putent illicitum, *d'escorter avec une troupe armée la parole de Dieu*, quod illis probare nititur e *Drelincurtii* Catechismo, et inserta *Arnaldi*, quem supra *Colonel et Pasteur* adpellaverat, Epistola a *Langallerii* moliminibus non prorsus aliena, lectuque digna, eo etiam, quod *Waldensis* hic *Quesnellianos* Articulos vocet *tous saints et chrestiens, mais condamnés par le fils de perdition et l' homme de peché*. A singulis his dictis Mercatoribus *cent francs ou cinquante Escus plus ou moins* mutuos petit, et quidem Exemplis, ut ait, Scripti hujus apud Librarium *Jourdan* 19. *Sept.* typo expressis. Huic negotio *fol.* 195. p. 2. succedit *Manifeste du General Marquis de Langallerie — à la Haye chez Jean Swart marchand libraire dans le Corte — Pooten* 1714. Alia igitur Editio ab ea, quam jam supra memoravi, et quidem Prologo instructa, quo breviter fata Viri ab a. 1706. continuantur. Hanc excipit *Histoire des motifs de la Conversion de Mr. le Marquis* &c. et ipsa jam typo vulgata; additur enim: *A Amsterdam chez Jacques Debordes sur le pont de la Bourse* 1714. Includuntur in illa etiam Adlocutio die novae Professionis 19. *Jul.* 1711. *Francof. ad Viadrum* ad eum habita a Pastore, ut videtur, *Causse*, quocum et cum Prof. *Strimesio* negotium abjurationis suae tractaverat, latinum item Testimonium ab Academia *Viadrina*, et gallicum a Consistorio ei datum. Culpanda sane venit Hominum incuria, quae libros mole metitur, et Schediasmata paucis plagulis constantia, quorum ope multi saepe in Historia errores vitari possent, ita facile deperire patitur, ut ultro jam nomine *Foliorum volantium, Flugschriften*, *Pieces fugitives* insigniat. — A *fol.* 233. p. 2. redorditur Noster Somnia sua prophetica *au Lecteur* foeta gravissimis in Ecclesiam Rom. calumniis, primum quidem *Amstelaedamo 2. Octobr.* 1714. tum 13. *Octobr.* dein 17. ejusd. mensis, atque hic ridiculum est legere relatas ab eo singillatim 39. Trapezitarum (*Banquiers d' Amsterdam*) de quibus supra mentio fuit, excusationes, quibus corvum hiantem delusere, quibus vero nihil absterritus ille Magistratibus urbis Libellum supplicem obtrudit, rejectusque ad Legatum *Anglicum* pro obtinendo *Londini* domicilio se convertit. Atque haec 29. et 30. *Octobr.* Postrema, quae cum Lectore communicat, inscripta sunt *Diario 7. Nov.* In his delirat de Rege *Galliae* avertendo a Foedere 1713. inito, et ad meliorem obitum, quam quidem a Jesuitis sperari possit, comparando, simulque inserit: *Ordonnance du Roy très Chrétien portant defenses à ses Sujets nouveaux convertis*